

F A S C I A
T I A R A T A,

Heroicarum virtutum
pretiosissimis vnionibus
resplendens.

I N

Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

D. ANDREÆ GEMBICKI,
Luceoriensis & Brestensis
EPISCOPI,

Tremesnensis Abbatis Amplissimi,

*Ad Religiosorum P. P. Carmelitarum Discalceatorum
Dni Michælis Ædes celebrato*

Funere,

ORBI EUROPEO

ANNO DOMINI,

Mors Dare Certa solet IVra beata bono.

Per M. IOANNEM DZIEDZIC, Contub. Hierosol. Seniore,
In Collegio Vladislauiano Rhetorices Professore

PRÆSENTATA.

Permissu Magnifici Domini Rectoris.

C R A C O V I Æ,

In Officina Vidua & Heredum Francisci Casarij, S. R. M. Typog.

IN STEMMATA
 Perantiquum
 GEMBICIANÆ DOMVS.



Herculeo veluti nodo quæ FASCIA cinxit
 Virtutes; Mortis falce soluta manet:
 Ergo fors perijt? Minime. Cur? Diarecessit
 Ad Cœlum virtus; illa relicta solo.
 Cur Cœlum virtus petijt? Cur FASCIA Terram
 Virtus de Cœlo est; FASCIA deque solo.

Nicolaus Krzycki, Grammaticus
 Studiosus.

Illustrissimis & Reuerendissimis
 Dominis,
 D. PETRO CRACOVIAN,
 Duci Seueriæ,
 D. JOANNI CVLMENSI
 & Pomesaniæ
EPISCOPI.

Illustrissimis & Magnificis Dominis,
 D. CHRISTOPHORO,
 Gnesnensi Castellano, &c.
 D. DOBROGOSTO,
 Pocillatori Posnaniensi,
G E M B I C I I S,
 Germanis Fratribus,
 Salutem & Felicitatem P.P.

Non diu mihi, (quia breui tempore) deliberandum
 fuit, quorum potissimum Augusto Nomini, hanc,
 quam in Magni Præsulis Luceoriensis, Fratris Ve-
 stri Carissimi, tumultuanti calamo honorem, TIA-
RATAM FASCIAM fabricavi, consecratum irem, **ILLV-
 STRIS.**

STRISSEMI REVERENDISSIMIq; PRÆ-
 SVLES ET AMPLISSIMISENATORES. Ipsa
 sese ad Vestrum ultrò acclinavit sinum; quæ ut in lucem prodiret
 Vestra in Musas Academicas effecit benevolentia. Dabitis spero
 mihi veniam, si non eâ industria, & arte elaborata sit, quâ debuit.
 Temporis enim interclusus angustiis, officijq; mei distentus negotio,
 omnibus numeris absolutum haud potui dignius hoc MONU-
 MENTVM GLORIÆ exstruere. In quo tamē tenuitatis
 meæ, cuius semper optimè sum mihi conscius, malebã argui; quàm in re-
 cēsendis tanti PRÆSVLIS & SENATORIS virtuti-
 bus taciturnitatis condemnari; aut Votorū Vestrorū, quibus refragari
 irreligiosum est, nō esse executor obsequentior. Accipietis ut spero hanc
 meam, vel potius Vestram; quia Gentilitia, obuiis vlnis TIARA-
 TAM FASCIAM; Regni Scholam Generalē ACAD-
 MIAM, Vniuersum Literatorum cætum, & me Clientem Vestrum
 fauore & Patrocinio prosequentes. Viuite felices Ecclesiæ, Patriæ,
 & Academiæ quàm diutissimè; Hoc animitus voueo & apprecor.
 Datum ipsis Florianalibus è Contubernio Hierosolymitano.

Vestrarum Illustrissimarum,
 Reuerendissimarum, &
 Magnificarum Domina-
 tionum

Clientis obsequentissimus

M. Ioannes Dżiedzic
 Cont. Hierosol.
 Senior.



FASCIAM
 TIARATA.



Vm Illustrissimus & Reuerendis-
 simus Antistes, cui funesto, non
 sine dolore, apparatu; & moestâ
 exequiarum, non sine lacrymis,
 pompâ, hoc in templo parenta-
 mus, ex hac vita mortali decessisse, & hoc tristi
 conclusus sarcophago, vltimum VALE dixisse
 omnibus censeatur: Gentilitiam quoq; illius FA-
 SCIAM de sua Maiestate plurimum amisisse, ne-
 mo est, qui non iudicet, Illustrissimi, Reuerendis-
 simi, Perillustres, Magnifici, Clarissimi, Religiosis-
 simi, cæteri que Vestris titulis ornatissimi Audi-
 tores. Ad magnorum enim in Ecclesia, Reque-
 publica Heroum occasum, & Gentilitia ipsa oc-
 cidunt lumina; Ruunt clarissima, generosarum
 Profapiarum columina; excelsa intereunt nobi-
 lissimarum Familiarum ornamenta; si acerbissi-
 ma fata, vltimam vltimis & Domus & gloriæ

B

Maio-

Maiorum suorum heredibus vitæ periodum imponerent Vbi, vbi sunt illa Illustrissimorum Ducum IAROSLAVIENSIVM, OSTROGIENSIVM, ZBARASCIORVMq; nunquam Eclipsim patientia LVMI-NA? quibus plus, quàm Sole ipso illustrata fuit POLONIA. Vbi illæ, masculæ verè virtutis Tenciniorum, quibus hæc tota, quæ spectatur Imperii Poloni moles sublimiùs assurrexit, ASCIÆ? Vbi BVCZACCIORVM, IAZŁOVIECCIORVM, OCIESCIORVM, aliorumq; plurimorum Gentilitia Stemmata? Omnia hæc ad extremum Magnorum Virorum occasum, tristissimam subierunt. catastrophem. Neque verò hæc ideo commemoro Auditores, vt existimetis omnino ad istius Magni PRÆSVLIS occasum, & ipsam Gentilitiam eius occidisse Fasciam. Viget illa, vigebitq; sempiternâ omnium seculorum memoriâ, in tot ILLVSTRISSIMIS FRATRIBVS; nec per tot amplissimorum, huius inclytæ Domus meritorum deriuata vnquam occidet incrementa. Nihil hîc crudelissima potuerunt fata; nihil efferata iniquæ mortis rabies, aut truculentum virus potuit. Et licet hoc exâgue corp⁹ quod in purpurato intuemur Mausolæo, in subterraneos pro triumpho MORSI implacabilis deducat carceres; licet has victrici dexterâ potentia viriumque suarum

iaçtet

iaçtet manubias; Gentilitiam tamen PRÆSVLIS Magnanimi FASCIAM, quia TIARATAM sibi duxit esse nefas manu sacrilegâ violare. Quam pretiosissimis Heroicarum virtutum distinctam vnionibus, dum resplendentem spectabitis: Sistite lacrymas FRATRES ILLVSTRISSIMI; continete suspiria Amici Carissimi; flectite dolorem Auditores Humanissimi; & oculos abstersos, animosque, tristi licet hoc spectaculo vulneratos, iam nunc quietiores in FASCIAM lethi nesciam conuertite.

Vniuersa huius Regni, totiusq; Nobilitatis Polonæ, à sanctissimis & sapientissimis vel deducta Maioribus; vel virtute suâ promerita insignia, eam semper vim, ac virtutem retinent, vt occulta quædam rerum magnarum semper videantur spirare indicia, Auditor: Or: Quorsum enim Generosa, nostri Regni Insigne, volitat (vtinam vero æternùm volitet) AQVILA? nisi vt feris semper futura ætas narret nepotibus, Gentem Polonâ, generosi semper extitisse pectoris. Quorsum per tam amplissima tantorum seculorum cursu procurrat spatia EQVES LITVANICVS? Nisi vt inde appareat Gentem Lituanam, ad retundendos hostiles impetus, obiectu laterum suorum esse fortissimam. Cernimus stellatas

B 2 per

per tot sæcula Koributorum clarissimè LVNAS
relucentes? Virtutis nunquam extinctæ symbo-
lum cernimus. Druzynarum Srzeniauiorumq;
leni è montibus procurrentes susurro Fluvios in-
tuemur? Gloriam per Campos Sarmaticos ple-
no aluèò toti Orbi illustrem profluere intuemur
Candidissima Gozdauarum Lilia; nitidissimas
Doliuitarum Rôsas in amænissimo Poloniae vi-
reto efflorescere conspicimus? Innocentiam vi-
tæ, morumq; integritatem contēplamur. Quid
vero fidissimi ductores gregis Iunossarum Agni
innuunt? Nisi prisca candoris, & auitæ simplicita-
tis obseruantiam. Quid cataphracto propugna-
tæ Grzymaliorum Turres milite, referunt? nisi in
maximis Reipub. periculis præsentissimum illis
semper adesse præstò subsidium. Quid ferrum
vibrantes capite Pomianorum Bubali denotant?
Nisi ad defensionem Patriæ, robur inuictum &
expeditam fortitudinem. Ita clarissima Radua-
norum vexilla; acutissimi Herburtorum Noui-
narumq; Gladii, infractæ Accipitrinorum soleæ;
validissimæ Ielitarum Hastæ; velocissimæ Ko-
ścieszarum Sagittæ; nihil nisi Martiam repræsen-
tant indolem. Ita generosi Prawdziciorum ex
muro profilientes Leones, robustissimi Ravi-
ciorum Vrsi; Leuartorum versicolores Leo-
pardi;

ac cæterâ nobilissimarum Familiarum
insignia, nihil nisi generositatem, magnanimi-
tatem, potentiam, & reliquarum virtutum de-
signant argumenta. Nałeciorum vero candi-
da, & magis quàm Herculeo vel Gordio impli-
cata nodo, quid sibi tandem velit FASCIA? o-
mnibus compertum esse existimo. Illa, illa sem-
per Heròicarum virtutum arctissimum fuit vin-
culum: Illa Religionis auitæ in Deum, Tem-
plum; Arx pietatis in Patriam, domicilium can-
doris in amicos, humanitatis in omnes vastissi-
mum extitit receptaculum. Desiderabat ali-
quando Orthodoxa Fides contra homines non
benè cum Coelo conuenientes, Propugnato-
res acerrimos; qui piam in mentibus illorum
exercerent Tyrannidem; Nałeciana plurimos
ad profliganda istiusmodi portenta Hercules
obtulit FASCIA. Ardebat bellis grauissimis, ho-
stiliq; impetebatur ferro carissima Patria; Na-
łeciana plurimos, ad retundendos impetus, A-
chilles fortissimos, obtulit FASCIA. Sedes &
domicilium publici consilii, auctoritate grauif-
simos, prudentiâ clarissimos, rerum agenda-
rum dexteritate illustres Viros exposcebat Se-
renissimorum Regum curia; ex Nałeciana,
velut ex Equo Troiano FASCIA prodierunt
innu-

innumeri. Hic grauissimæ sellæ curules, Sigilla Regni, Arbitramenta iudiciorum, Secretorum notitia, Præfecturarum decora, sibi elegerunt domicilium: hinc Prælatorum dignitates, Legatorum Caducea, Abbatum Mitræ, Præsulum Tiaræ hereditarium sibi inscripserunt hospitium. Intueamini obsecro, hanc TIARATAM quæ in MAGNI fatis absumpti PRÆSVLIS est exporrecta parentalibus, FASCIAM: an non virtutum, & dignitatum esse plenissimam aduertetis? Reuocate vniuersam, & recolligite ipsius transactæ vitæ seriem; omnia digna Optimo PRÆSVLE cognoscetis. Annus agebatur Christi post Millesimum Quingentesimum nonagesim^o terti^o quo dignissim^o hic ANTISTES, Illustrissimâ GEMBICIORVM primò in lucē editus est Profapia. Qui suæ vitæ Prologum, primam pueritiam scilicet; non inter malefuadæ voluptatis illecebras, ac lenocinia; sed in seuera penes Parentes clarissimos disciplina fuit auspiciatus. Dixisses illum, si vidisses eo tempore, non Polonum, sed Spartanum, ob austeram & rigidam Maiorum domi educationem, puerum. Qui tametsi non seuerissimis Lycurgi de Iouis sententia, in informanda generosa indole sua erudiebatur legibus; nihilominus tamen sanctissimis

ctissimis optimorum Parentum ad omnes virtutes vehementissimè inflammabatur monitis. Non ille nimis molliter, & in magna vitæ licentia condiscebat viuere; non inter cytharas & obscœnas cantilenas versabatur; sed in omni honestate, vitæ innocentia, & integritate educabatur. Nōrant siquidem Parentes optimi, omnis reliquæ vitæ, cum priuatæ, tum publicæ institutionem ipsam, educationemque puerilem fundamentum esse. Primam igitur suæ pueritiæ, certis pudoris, verecundiæ, modestiæ, atque ipsius religionis adstrictus legibus, prætextam domi cum deposuisset, & Parentum voluntate, & Illustrissimi ac Reuerendissimi LAURENTII Gnesnensis Archiepiscopi, Regni Primatis, primique Principis, Patruis verò sui Clarissimi ductu, ad eruditum magnarum Animarum Areopagum concesserat Academiam Cracouensem. Quanta verò hinc suæ pietatis Religionisque in Deum, obseruatiæ in Præceptores, diligentiae in Musas, honoris in Scholas ediderit specimina ipsa subsequens postea iam declarauerat ætas. Omisit ille omnes voluptates, reliquit studia delectationis, ludum, iocum, conuiuium, sermonem etiam pænè omnium familiarium deseruit. In hoc autem amplissimo optimarum

Artium, cum optimè variarum scientiarum, ac ipsius Reginae animorum Eloquentiae innutritus esset rudimentis emporio; exterarum gentium mores, & iura cognoscere illum incessit desiderium. Quid verò hinc nouus iste peregrinus egerit? Fortè vel luxu in Germania; vel deliciis in Italia soluebatur? Minimè gentium. Non tam ille studebat, vt quàm plurimos homines in singulis gentibus cognosceret, aut multorum familiaritates consequeretur; quàm vt quid apud exteros populos dignum sit moribus, legibus, disciplinâ, obseruaret. Vnde reuersus domum, non pro rosas spinas retulit, non dissolutos ac lasciuos mores; verùm sapientiam, prudentiam, ac cæteras egregias virtutes. Postquam igitur ab exteris reducem postliminio salutauit Patria, animum suum generosum ad Serenissimi SIGISMVNDI III. Regis Poloniae Optimi, Aulam, (quæ nihil aliud erat, nisi templum pietatis, domicilium honestatis, sedes ac Regia temperantiae,) inclinauerat. Hinc verò sibi discendum putabat, non quomodo comptè incedat; quibus verbis ad blanditias, vel ad beneuolentiam vtatur, quo gestu Proceribus appellandis caput nudet, poplitem flectat, quibus viis opes cumulet, domum sibi nitentem reddat,

hortum bene cultum ornet; sed quibus rebus instruat se ad vitæ moderatum, & æquabilem habitum: hic labor illius primus, & hæc cura fuit maxima. Cogitabat verum decus, non in generis nobilitate, non in diuitiis, non in pompa ministrorum, sed in virtutibus, prudentia, iustitia, temperantia, liberalitate, situm esse. Quas omnes animi dotes & virtutes, cum Serenissimus SIGISMVNDVS III. Rex Poloniae in eo cognouisset, Secretariorum suorum coetui illum adscribens, Abbatiae Tremesnensis Administratione perpetuâ exornauit. In qua ille, cum ad diuinum cultum in Religiosis Viris promouendum, totum suum studium intendisset; id spectabat vnicum maximè, vt diuinæ laudis in Ecclesia debitè peragerentur officia. Ne verò adhuc desiderari ab eo quidpiam videretur, Ecclesiae Metropolitanæ Gnesnensis Suffraganeus institutus fuit. Ita autem se hinc sollicitè laboriosèque gerebat, vt omnia munia digna Personâ tali, egregiè absoluerit. Sed dum plurima pro Ecclesia Illustrissimus PRÆSVL ageret; pro ipsa Patria, vt aliquod subiret negotium, cogitabat diligenter. Proinde amplissimæ Legationis Romanæ, per Illustrissimum GEORGIUM OSSOLINSCIVM, Regni Supremum Cancellarium,

ad Sanctissimum V R B A N V M VIII. à D. V L A D I S L A O IV. Rege Pol. inclyto, peractæ, constitutus fuit primarius Secretarius. In qua nihil, quod esset necessarium, omiserat. Reuoca Tibi in memoriam ô Alma Mater mea A C A D E M I A, quantam voluptatem perceperis; cum redeuntem in Patriam, excepisti. Ille enim Tibi afflictæ, & vexatæ saluberrimum è Romana vrbe attulerat antidotum. Legationis igitur Romanæ clarus officio, ad Inuictissimum Ferdinandum II. Imperatorem Romanorum, iterum Legatus grauiissimo in negotio deligitur. Quod ille munus, cum satis egregiè peregisset, maximam sibi apud omnes comparauit gloriam. Quâ cum Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibusque Viris, domi forisque, ac ipsi Serenissimo V L A D I S L A O IV. acceptus esset, ab eodem Luceoriensis Episcopus est renuntiatus. Ita verò hinc Pastoralis, simulque Senatorio perfunctus fuit munere; vt & Ecclesiæ, & Reipublicæ inferuierit plurimum. Lætatur Ecclesia, & tota Diœcesis Luceoriensis, quòd amplissimis beneficiis, & sumptuosis ædificiis, ab illo exornata fuerit. Gaudet vehementissimè; quòd illas generis humani pestes, Orthodoxæ fidei furias, Religionis hostes, Sacrorum prædones Arrianos &

nos & Schismaticos discussit, & dissipauerit. Gratulatur sibi Senatus Amplissimus, quòd tanti P R Æ S V L I S prudentiâ, floruerit; sed cum post duodecimum sui Regiminis annum, fatis absumptus, è vita discesserit, luget maximè. Commemorat ipsius Pietatem, & Religionem Ecclesiæ, amorem Patriæ, Patrocinium Academia, candorem Amici, liberalem dexteram Clientes, Clementiam subditi, commemorant. Atque his Illustrissimus P R Æ S V L cum esset cumulatus virtutibus, Gentilitiam eius F A S C I A M T I A R A Pontificiâ exornatam, pretiosissimis Heroicarum virtutum distinctam, resplendere vnionibus, nemo est, qui non perspiciat, A. O: Cum verò ipsi, iam nihil profint huius vitæ decora; Tibi ô Mater Ecclesiæ, Pedum & Tiaram; Tibi ô Mater Polonia, fasces & sellam curulem; Tibi ô Mater Academia, quam à te hauserat, doctrinam & sapientiam; Tibi ô Domus G E M B I C I O R V M inclyta, Gentilitiam F A S C I A M; Tibi ô tellus, exanguè corpus & cineres; Tibi, in cuius sacris conquiescit sedibus Michâel diuinissime, immortalè animam, dat, dicat, & resignat. Effice gloriosissime coelestis Princeps militiæ, vt post suæ peregrinationis cursum, in Beatorum Quiritium numerum adscribatur. D I X I.



Academica Sceptra feliciter moderante

Magnifico & Clarissimo Domino,

D. M. G A B R I E L E
O C H O C K I

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, Consule
Cracouien. nec non Generali RECTORE
Vniuersitatis Vigilantissimo.

